Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS

QVA

SCROPHVLARIA

IN ILLVSTRI ACADEMIA SALANA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

VVILHELMO HEINRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE WESTPHALIAE ET RELIQVA

SVB PRAESIDIO

IO. HADRIANI SLEVOGTII

HEREDITARII in Ober-Roßla

MEDICINAE DOCT. ET PROF. PVBL.

PRAECEPTORIS AC PROMOTORIS SVI VENERANDI

PRO LICENTIA

HONORES IN MEDICINA SVMMOS ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA IMPETRANDI

DIE XXX DECEMBR. M DCC XX

SOLENNI PHILIATRORVM VENTILATIONI
EXPONETVR

AB

HENRICO CHRISTIANO EHRLICH

ALTENBVRGENSE MISNICO.

IENAE

LITERIS VVERTHERIANIS.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



Q. D. B. V.

§ I.



SCROPHULARIAM, a vetustissimis rei herbariæ cultoribus, Theophrasto Eresio & Dioscoride, haud descriptam, summi Numinis auxilio freti, explicaturi, nomen eius mere latinum deprehendimus, & sine epitheto ab antiquioribus, non minus, Matthiolo, Lacuna, Dodonæo, Castore Durante, quam a recentioribus Roberto Morissone, Jo. Raio aliisque in vsum vocatum, a *radice* pariter *nodosa*, ac *effectu*, quem in scrophulis curandis edere solet, derivari legimus. Hanc etymologiam autem, quoad radicis *figuram* haud omnibus speciebus, sed illi potissimum, quæ nostræ considerationis erit, convenire, ipse Morisson concedit, dum, in eadem periodo, radicem aliam *nodosam*, aliam *fibrosam* esse, nodisque carere, sponte profitetur. Ab effectu etiam *ficaria*, quod ani ficis prosit; nec non *millemorbia*, sed per hyperbolem, nominatur; cum ad multos equidem, non autem *mille* morbos vtilis existat. Præter hæc, ob foliorum

herbæ *figuram*, a Clusio Lamium Pannonicum, a Fuchsio, Dodonæo, in gallica editione, & Parkinsonio *Galiopsis*, a Trago *Ocimastrum*, a Turnero, Lobelio, Lugdun. & Iacobo Theodoro, (a patria passim Tabernæmontani nomine veniente) *Betonica* aquatica, & tandem a Gesnero & Rob. Constantino *Clymenum* salutatur; absque appellationis ratione autem apud Matthiolum *ferraria* & *castrangula* audit.

§ 2. Αεἰζωος autem & *ἀμάραντος* insigniri meretur, non solum ob radicis *perennitatem*, sed quia, verbis Bodæi a Stapel, in not. ad Theophrasti Eresii Histor. plantar. lib. 7, c. 3, p. 759, *memorabile est, quod quidam* (de fabaria quoque) *referunt, vix aliam reperiri herbam, quæ diutius viveret, & ab interitu vindicetur. Germaniæ quædam mulieres in vigilia Divi Ioannis in tabulato suspendunt, parietibus quoque imponunt, & supra ianuas collocant, quibus in locis longo tempore viget, & continue repullulascit, adeo, vt circa festum nativitatis domini nostri Iesu virentem eam invenire liceat.*

§ 3. A Germanis, ob foliorum, caulium & florum *colorem*, potissimum in officinali specie spectandum, Braunwurtz; a viribus Groß Feigwartzen-Kraut, ad differentiam Chelidonii minoris, quod Klein Feigwartzen-Kraut vocant; item Wurm-Kraut, cum vermes ex intestinis & frumento pellat, & Sauwurtz, appellatur, quia a veterinariis ad scrofarum morbos adhibetur: sed tunc per f scribi debet.

§ 4. Post nominis & tot synonymorum recensionem, proxima cura nostra in eo occupabitur, vt primo loco *facies externa* totius plantæ exhibeatur, & postmodum inde *perpetuæ, constantes* & *essentiales notæ*, eruantur, per quas eam a reliquis omnibus discernere datur. Vocant has *cha-*

racte-

racterem, potiſſimum a flore & fructu, ceu vltimo vniuscuiuslibet herbæ fine, raro autem ex radicis, foliorum, aut totius ſubſtantiæ conformatione, aut aliis accidentibus deſumendum. Hinc, cum Tournefort, Elementor. p. 136, ſcrophulariæ ſpecies per *folia*, circa geniculos, *ex adverſo ſibi oppoſita*, a digitali dignoſci poſſe ſcripſiſſet, mox, ab hoc *κριτηρίῳ* recedit; cum ex *flore* id ſufficienter peti poſſit: & poſtquam Inſtitutionum p. 167, *fœtorem*, ſambuco ſimilem, inter notas cognitionis retulerat, hunc tantum, priusquam nova germina flores & fructum proferunt, locum habere addit.

§ 5. Quia Io. Bauhinus, poſt alia præclara encomia, a Raio *Botanicorum Coryphæus* ſalutatus, in perſpicua delineatione plantæ, præ ſuis anteceſſoribus, ſingulare ſtudium adhibuit, ideo ex Hiſtoria eius vniverſali ſequentem deſcriptionem apponemus: *Scrophulariæ vulgaris & maioris* radix oblique agitur, alba craſſiuſcula, & *tuberibus inæqualibus ſtrumoſa.* Caulis firmus, rectus, quadratus, cavus, *purpuraſcens*, ad binos cubitos excreſcit, in alas diviſus. Folia galeopſis maiora, acuta, ſerrata, ex geniculis adverſa, *atrovirentia.* Flores ex hirſutis pediculis, calycibus quinquefoliis inſident, antirrhini minimi inſtar, *biantia ora habentes, ſuprema lacinia in medio bifida,* intus atropurpurea, extra nonnihil vireſcente, *lateralibus duabus cum infima, extrorſum reflexa,* magis ex viridi palleſcentibus, prominulo e rictu ſtylo, alte reconditis tortuoſis ſtaminibus, cum apicibus ochreis. *Vaſculum ſeminale bivalve, ſubrotundum, in ſummo acuminatum.*

§ 6. Circa ampliſſimam hancce deſcriptionem notavit quispiam, *ſitum foliorum adverſum non æque perpetuum*

 eſſe,

esse, & stamina interdum in rectum exporrigi, eorumque apices pallidos e floris hiatu apparere. Nos minutas hasce circumstantias, vtpote lusui naturæ & floris ætati adscribendas, nec quippiam ad characterem facientes, silentio prætterimus, idque potius desideramus, vt, quod laudatissimus autor in scrophulariæ maximæ, fibrosaque radice præditæ, historia fecit, simul *duorum loculamentorum*, in quæ vasculum seminale dividitur, & placentarum in iisdem, seminibus, *obtuse acutis*, refertarum, meminisset. Evasisset quoque ipsa descriptio plantæ completior, si *perennitas* eius allegata fuisset. Quamvis enim partes eius, extra terram prominentes, non tanto robore polleant, vt, quod fruticibus & arboribus potissimum, paucisque herbis datum est, frigus nostri climatis tolerent, radix tamen non statim interit, sed, sequente vere, novos frugiferosque stolones edit: qui autem ex semine nascuntur, altero demum a satu anno flores & fructum ferunt.

§ 7. Præter sufficientem hanc membrorum, scrophulariam componentium, recensionem, vix alibi apud antiquiores atque recentiores autores vberiorem reperire licet. Inter antiquiores enim Adamus Lonicerus, &, qui ipsi fere æqualis fuit, Hieronymus Tragus, huiusque discipulus Iacobus Theodorus, hanc plantam describentes, in rebus atque verbis adeo conveniunt, vt si vnum noveris, omnes noveris. Hi vero paucis lineis rem expediunt, dum *radicem albam, &, fabariæ in modum, nodosam, caules quadrangulos, fuscos, folia basilico ac urticæ conformia, flores cochlearum testas referentes, vascula seminalia ex rotundo acuminata, seminaque hyoscyamo similia* pronunciant. Nec prolixior est, qui itidem ante Bauhinum vixit, Petrus Adamus Mat-

thiolus

thiolus, in Comm. ad 4 lib. c. 90 Dioscoridis, vbi, p. 791 a Galeopsios explicatione, ceu ἔργῳ, abiens, παρέργως de scrophularia agit, & quoad reliqua superioribus conformis, præter figuram floris, cui *galeæ* faciem tribuit, nihil novi affert. Id quod etiam in reliquis istorum συγχρόνοις, Leonhardo Fuchsio, Remb. Dodonæo, &c. observatur. Neque, quod mireris, Dominicus Chabræus, Bauhinum mox excipiens, & ex eius Historia Icones & sciagraphiam suam stirpium compilans, Class. 30, p. 471, fig. 3, plus præstitit, quam quod ipsissima Bauhiniana verba maxima ex parte retinuerit, multa eorum omiserit, ordinemque mutaverit.

§ 8. Post hosce atque alios recentiores, ἀκριβολογίας characteristicæ nondum gnaros, ideoque ipsi minus intentos Botanicos, Robertus Morisson, de *methodi, plantas, ex floris & fructus eorum constructione, ad certas classes reducendi inventione* (Gesnero potius, Columnæ & Cæsalpino adscribenda) semet jactans, id equidem negotii sibi dedisse videtur, vt eas tantum partes scrophulariæ in medium producat, quæ characterem eius constituunt, cæteras autem sciens prætereat: verum quo successu id præstiterit, ex præliminari signaturæ enarratione, quam ex Plantar. hist. vnivers. Oxon. part. 2, sect. 5, c. 5, p. 481, totam producemus, apparebit. *Scrophularia*, inquit, *florem habet parvum, brevem, integrum in fundo, in margine quatuor laciniis constantem, supina parte bifida, & sursum reflexa, inferna vt labellum propendente, duabus aliis latera claudentibus, tenui stylo, cum staminulis emergente, præditum. Succedunt vascula sive capsulæ pyramidales, arcte simul iunctæ, dum adhuc sunt virides, exsiccatæ aliquantulum mucronatæ & divisæ, septo mem-*

braneo

braneo disterminante duplicem seriem seminum minutorum fulvorum aut subrufforum.

§ 9. Cum characteris descriptionem nec prædicata, specialia indicia non afferentia, nec aliæ circumstantiæ superfluæ ingredi debeant; ideo floris *parvitas*, stylique *tenuitas*, & *color seminis fulvus* h. l. frustra nominantur: quia ad essentialem diagnosin nihil conferunt, nec quippiam obstat, quo minus alicubi scrophulariæ species reperiatur, quæ *florem magnum*, *stylum crassum*, *nigrumque* aut *album* semen, manentibus singulorum figuris, gerat. Deinde totum florem *tetrapetaloidem* vocare potuisset, quem capitis quinti inscriptio *monopetalum*, i. e. ex vnica colorata fugacique lamina constructum, statuerat, characteris verba autem *in fundo integrum, & in margine quatuor laciniis constantem* afferunt. Sed minus accurate *quatuor* tantum laciniæ nominantur: cum supinam partem bifidam esse, infernam autem, vt labellum, propendere, duasque alias latera claudere dicatur, vt hoc pacto, dum quinque laciniæ adsunt, rectius flos *pentapetaloides* pronuncietur. Porro capsulæ seminales, *pyramidales & aliquantulum mucronatæ* dictæ, vno verbo clarius *conicæ* audirent. De quibus itidem Autor obscure loquitur: quando eas, dum *virides adhuc sunt, arcte simul iunctas, exsiccatas autem aliquantulum divisas* pronunciat; cum singulæ seorsim nascantur, nec vnquam vna cum altera cohæreat. Hoc igitur voluisse videtur: capsulas *virides*, i. e. botanice loquendo, *immaturas*, binas suas valvas *arcte coniunctas* habere, maturasque demum sponte dividere.

§ 10. Morissoni succedit Raius, qui lib. 15, Hist. plant. gener. sect. 1, flores *monopetalos difformes* exhibiturus, cap. 5,

p. 564,

p. 764, ſcrophulariæ quatuor diagnoſtica ſigna, *florem* ſcilicet *auriculatum*, *vaſculum bivalve, ſubrotundum, acuminatum*, *folia in caulibus, contrariis inter ſe pediculis, bina*, & *ſemina parva fuſca*, tribuit, illamque per hæc a pinguicula Geſneri, linaria, antirrhino, ariſtolochia, digitali, pediculari, euphraſia, melampyro & elephanto (herbis & flore & fructu prorſus diſſimilibus) diſcerni poſſe putat. Verum notas, a ſitu foliorum & colore ſeminis ſumtas, ad dignotionem, minus ſufficere, ex illis, quæ § 4, & circa Moriſſonis prolixum characterem, § 9, monenda fuerunt, patet. Minus apte quoque *flos auriculatus* (latinius auritus) dicitur, qui nullam auris figuram, in ſolo ari flore, (vel potius calyce) aurem leporis repræſentante, hactenus ſpectatum, exhibet. Nec ſatis eſt, ſeminale vaſculum tantum *bivalve*, quale omni ſiliqnæ competit, nominaſſe, quod ſimul *bicapſulare* dicendum eſt, inque Methodo plantar. emendata eiusdem Raii, p. 89, in *duo loculamenta* diviſum ſtatuitur. Hanc duplicitatem etiam D. Chriſtophorus Knauth, p. 10 Enumerat. plantarum, circa Halam Saxonum provenientium, ſatis bene annotavit, ideoque fructum *bicapſularem* appellavit. Quam ſedulus autem hic vir herbarum iſtius climatis ſcrutator fuerit, ex relatione inſignis alicuius viri colligere potuimus, quod eius ſucceſſores multas, ab ipſo enumeratas, nondum ibi reperire potuerint.

§ 11. Tournefort in Elementis gallicis pariter, ac latinis Iuſtitutionibus, de ſeminali equidem vaſculo ſatis aperte loquitur, dum id teſtam, e rotundo acuminatam, bifariam dehiſcentem, ſepto intermedio in duo loculamenta, ſeminibus utplurimum exiguis, placentisque affixis, fœta, diviſam appellat, ſed circa florem obſcurior eſt: quia hic ipſi *mono-*

 petalus,

talus, anomalus, vtrinque patens, plerumque globosus, in duo veluti labia, quorum superiori duo foliola subsint, sectus audit. Haud enim intelligimus, cur eum *monopetalum* vocet, qui, si in duo labia sectus est, propterea dipetaloides evadit. Deinde haud *vtrinque patens* dici debet, cuius inferius foramen a pistillo, ad instar clavis, calyci infixo, clauditur. Nec porro *plerumque globosus* appellandus, qui in nullis speciebus talis est; sed inferius saltem, sicut olla, testa, cassisque hemisphaericus, superius autem apertus dissectusque visirur. Denique *fissura* labii superioris, quam non tantum potiores Botanici allegant, sed ipse Autor quoque in icone tabulae 74, sub lit. A, satis profunde pingi curavit, neutiquam in textu plane omittenda fuit; quia per eam quinarius laciniarum numerus completur. Quod tandem *duo foliola, superiori labro supposita,* attinct, referuntur illa, omnium consensu, ad inferius labium, & a Ioh. Bauhino, Morissone & Christiano Knaut *laciniae*, a Rivino autem *auriculae* vocantur: cum *folia* atque *foliala*, secundum modernam loquendi consuetudinem, non amplius in floribus, sed in calyce tantum & ipsa herba locum inveniant.

§ 12. Excellentissimus nostri saeculi Botanicus Rivinus, p. 18 Ordinis plant. quae sunt irregul. monopet. de nostrae herbae charactere, nullam seminis, multo minus radicis, aut foliorum rationem habens, ita loquitur: *Possidet scrophularia minimum florem, quem si quis divisum quinque laciniis dixerit, non aberrabit. Nempe suprema bifida, seu duplex est, binae sunt laterales, instar auricularum, inter quas inferius dependet vnica. Delapsis floribus, sequitur pericarpium, non dissimile digitali aut gratiolae,* (Ioh. Bauhini scil. a Tournefortio *digitalis minima* appellatae) *quod maturam itidem in*

summi-

ſummitate dividitur, vt bicorne appareat. Hiſce ſubſcripſit clariſſ. Heucherus, & pleraque in pag. 58, Proventus novi hort. medic. Vitemb. tranſtulit. Nec admodum diſparem ſententiam accuratiſſimus floris & fructus æſtimator, Chriſtianus Knaut, p. 110, Methodi plant. genuinæ fovet, vbi ex ſolo flore diagnoſin petens, hunc equidem inter *monopetalos* numerat, attamen haud obſcure pentapetaloidem facit; dum eum bilabiatum eſſe, labiumque ſuperius *bifidum*, inferius autem in *tres lacinias* diviſum eſſe ſcribit, quarum media, verbis Io. Bauhini, *extrorſum reflexa* eſt, non autem, quod Moriſſon habet, vt labellum *propendet.*

§ 13. Quodſi iam, poſt tam prolixam circumitionem, in viam revertendum, & ex tot variantibus ſcrophulariæ vulgaris, de qua in præſentia potiſſimum agimus, characteribus vnus, omnes atque perpetuas dignoſcendi notas, ex ſolo flore & fructu, nullo ad radicem, vel tuberoſam, vel fibroſam, foliaque, cuiuscunque, figuræ ea ſint, habito reſpectu, petendas, complectens, formandus erit, talem dabimus: *Flos eſt pentapetaloides irregularis, ex ollæ, vel caſſidæ teſtæque ſimili ſubrotundo fundo, in anguſtius & bilabiatum orificium aſſurgens, vbi ſuperius erectumque labium in duas æquales, inferius autem in tres inæquales lacinias, duas ſcilicet laterales minores, & vnam, longius deorſum antrorſum vergentem, finditur. Ex piſtillo, calyci pentaphyllo infixo, fit capſula coriacea conica, maturitatis tempore, ſecundum longitudinem, in duo loculamenta, multa ſemina acuminata, placentis affixa, exhibentia, dehiſcens.* Vel brevius: *Flos eſt pentapetaloides irregularis, vas conicum bivalve & bicapſulare, ſemen,* ſec. icon. Hermanni & Tournef. *acuminatum*, ideoque ab hyoſcyamo diverſum.

§ 14. Pentapetaloidem vocamus florem, quia nec *mo-*

nopetalus eſt, vt paſſim audit, & ex vnica lamina, circa marginem non minus, quam in fundo integra conſtat: qualem convolvulus, ariſtolochia, & *quodammodo* ſymphytum atque ſtrammonium exhibent: neque etiam *pentapetalos* dici poteſt; quia tantum *lacinias* marginis, in quinque particulas diſſecti, non autem *petala*, ſive laminas, prorſus a ſe invicem ſeparabiles, poſſidet. A quinario hoc laciniarum numero, in ea, quæ noſtræ conſiderationis eſt, Scrophularia, & aliis ſpeciebus occurrente, illa recedit, quæ a Cluſio cretica appellata, apud Moriſſonem & Raium ſeptimum locum occupat, cuius flos *ſex* ſegmenta habere dicitur, vt proinde *hexapetaloides* nominari debeat.

§ 15. Stante hac genuina floris & fructus ſignatura, non difficile erit iudicare, num, ſecundum Hieron. Brunſuicenſem, *tres* ſcrophulariæ ſtatui, fabariaque *maior*, officinalis *media*, & filipendula *minor* dici queant. Si Tragum conſulimus, putat is, id aſſertum ideo tolerari non poſſe, quia, h. m. propter nodoſas radices, etiam ſaxifragia, chelidonium minus, &c. ſcrophulariæ vocari deberent. Verum Brunſvicenſem non æque ad figuræ radicum, quam virtutis earum convenientiam reſpexiſſe, nobis probabile videtur, qua remota, iſtæ plantæ ad diverſiſſima genera pertinent: cum prima florem pentapetalum ſtellatum, & vaſculum ſeminale multicapſulare, tertia autem florem hexapetalum, & multa ſemina, in capitulum congeſta, alat.

§ 16. Leonhardum Fuchſium & Dodonæum, cum Parckinſonio *galiopſios* nomen inter ſynonyma ficariæ retuliſſe, ſuperius in § 1 relatum legimus. Sed Dodonæum hanc ſuam ſententiam in latina editione reprobaſſe, idemque Marantham feciſſe, Chabræus, p. 644, Append. ad Sciagraph. autor eſt; iamdudum autem, ante hos, Matthiolus,

quem

quem Io. Bodæus a Stapel, in notis ad Theophr. ſupra cit. Hiſtor.lib. 7, c. 7, p. 816, verbotenus ſequitur, hanc materiam in cit. Comment. ad Dioſc. ventilaverat, ibique Fuchſinm duplicis erroris arguerat, quod latinum vocabulum *galeam*, cuius effigiem ſcrophulariæ flos quodammodo refert, & græcum *ὄψιν*, *faciem*, *aſpectum* ſignificans, compingendo *γαλίοψιν*, contra Græcorum morem, nunquam in nomina herbarum componenda latinas voces adſciſcentium, conſtruxerit: nec etiam, ob herbarum ſimilitudinem, iſtam appellationem locum invenire : cum ſcrophularia folia, nec *vrticæ* (cuius ſpecies quondam galiopſis habebatur) admodum æmula, nec *gravi odore* prædita proferat. Circa cuius refutationis prius membrum Chabræus nil monendum habet; quoad alterum autem *odoratus ſenſum perdidiſſe* putat, qui in vulgari ſcrophularia gravem odorem deſiderent. Quod ſi ſecundum moderna principia hæc controverſia dirimi deberet, quæ galeatum florem illum vocant, cuius ſuperius labium fornicatum eſt, & apertam caſſidem, in brunella, caſſida, hormino, ſclarea, lamio, ipſaque galiopſi occurrentem, refert, tunc noſtram plantam fundum quidem floris, galeæ ſimilem, orificium autem diſſimile habere, inſuperque a proprie ſic dicto galeato flore longiſſime remotam, ideoque nec *galiopſin*, nec, cum Cluſio, *lamium* dicendam eſſe apparet.

§ 17. Quando idem Chabræus Tragum, quod l. c. p. 68, ſcrophulariam pro *ocimaſtro* vel *occimo* Dioſcoridis ſumi poſſe ſcripſerat, cœcutire dicit, itidem Matthiolum autorem habet, l. c. Eſt enim huius flos pentapetalus, & ſpecies lychnidis, ocymi autem labiatus, labiumque ſuperius ſurrectum, & retro flectitur. Quid vero clymenum Geſneri

& Roberti Constantini sit, nondum inter Botanicos constat: cum hoc nomen a Columella *Calendulæ vulgari*, a Lugdunensibus *stachyi palustri fœtido*, ab Anguillara *androsæmo*, a Lobelio *clemati cærul. erectæ*, a Columna *scorpioidi bupleuri folio*, & tandem a Matthiolo atque Castore *lathyro latifol.* C. B. tribuatur, qui Tabernæmontano *cicercula sylvestris* audit, tertiamque *clymenorum* speciem apud Tournefortium, Instit. p. 396, constituit, idoque cum scrophularia nihil commercii habet. De betonicæ nomine, a nonnullis, in § 1 citatis, usurpato, audiamus Bodæum, l.c.p. 759: *Nullam video causam, cur scropulariam vocarint Betonicam aquatilem; tam enim betonicæ, quam plantagini similis est; neutram folio, flore, radice & semine refert.*

§ 18. Antequam hinc abimus, verbo tantum innuere volumus, figuram 7, tab. 9, H. Oxon. cui Morisson scrophulariæ, foliis, filicis modo laciniatis, & rutæ caninæ latifoliæ C.B, creticæque Clus. nomina imposuit, nec foliis filicem, nec flore scrophulariam, sine dubio sculptoris culpa, repræsentare. Herbæ enim folia sunt lata, in ambitu crenata, & ex floribus vnus campaniformis late patens, duo alii autem, fere vt in centaurio minori aut asperugine, tubulati, & circa marginem in quinque æquales lacinias dissecti conspiciuntur.

§ 19. Cum priscis Botanicis paucæ, scrophulariæ nomen gerentes, plantæ notæ fuerint, & vltra numerum quaternarium vix ascenderint, hic, succedente tempore, mirum in modum crevit, vt celeberrimus & curiosissimus Botanicus, D. Ioh. Georg. Volcamerus, in suo, exoticis pretiosisque plantis instructissimo horto, & agro Norimbergensi provenientium, septem species, Morisson & Hermannus novem, Raius in Hist. tredecim, totidemque Tournefort in Elementis gallicis recen-

recenſuerint, quibus hic in Inſtitutionibus adhuc quinque, & p. 9 Corollariorum, octodecim, ille autem in Hiſtoriæ tomo 3, qui priorum ſupplementum audit, lib. 14, p. 395, ſeptendecim ſuperioribus addiderit, inter quas tamen vna alteraque, ſi rigidiori examini ſubiiceretur, ex reliquarum claſſe ſe ſubtrahere cogeretur.

§ 20. Differunt tot ſpecies non ſolum quoad *radices nodoſas fibroſasque*, quarum hæ plerumque tantum annuæ ſunt, illæ autem per aliquot annos durant, ſed etiam ratione *magnitudinis* plantæ: cum nonnullæ, exemplo orientalium quarundam, exiguæ & minimæ maneant, aliæ autem ad vnum, duos, tresque cubitos & vltra, vt frutices æquent, ſuos caules extollant; quorum alii ſuperficiem glabram, alii hirſutam & lanuginoſam obtinent, & vel viridi, vel ſpadiceo, ſubrufoque colore tincti ſunt. Quædam etiam folia ſplendent, cerniturque in illis adeo multiplex figuræ differentia, vt in vniverſa vegetabilium familia tanta varietas haud reperiatur: dum vrticam, ſambucum, betonicam, cannabinam, teucrium, lunariam, chryſanthemum, matricariam, meliſſam, tiliam, rutam, filicem, laſerpitium, verbenam, & neſcio quas non alias herbas, partim revera, partimque ſecundum imaginationem deſcribentium æmulantur. A natali, quod amant, ſolo *aquaticæ*, *paluſtres*, *arvenſes*, *montanæ*, *hortenſes*, & a regionibus, Germanicæ, Hiſpanicæ, Luſitanicæ, Hungaricæ, Creticæ, Epheſiæ, Corſicæ dicuntur, aliæque ab orientalibus, Malabaricis, Africanis & Americanis Braſilianis locis mutuata cognomina ſortiuntur. Nec florum quoque, quoad *colorem* & *magnitudinem*, eadem conditio eſt. Sicut enim apud nos plerique exterius virides aut ſpadicei, & intus lutei viſuntur, ita inter peregrinos rubri quo-

que

que pulli, flavi, variegatique occurrunt; cumque noſtrates mediocrem quantitatem obtineant, inter orientales exiliores dantur, *flos* autem *ſcrophulariæ Hiſpanicæ*, verbis Cl. Heucheri, l. c. reſpectu reliquarum, eſt ſatis magnus, idemque elegantisſimus, croceus inferiore (forſan exteriore) parte, interiore ruber.

§ 21. Ex tot diverſisque ſpeciebus duæ tantum apud nos officinas ingrediuntur, *maris* & *fœminæ* vulgari nomine venientes: circa quos obſcuritas quædam apud Tournefortium atque Theodorum occurrit. Tournefort enim Inſt. p. 166, *ſcrophulariam nodoſam fœtidam* C. B. & *vulgarem maiorem* I. B. pro iisdem habet; ſed hæc atro rubentem, illa viridem colorem offert. Deinde *aquatica maior* C. B. quæ Theodoro & Dodonæo *Betonica æquatica* eſt, ideo *æquatica maxima* Io. Bauhini eſſe nequit, quia hæc radicem *fibroſam*, illa autem *nodoſiſſimam* habet. Theodorus autem difficulter quoque intelligitur; quia poſtquam Herbar. lib. 2, ſect. 5, c. 6, p. 929, *marem*, quem Matthiolus, vna cum Lacuna, Dodonæo & Caſtore, in § I citatus, *abſolute ſcrophulariam*, Brunfelſius autem, Geſnerus, Lonicerus, Lobel. Cæſ. Thalius, Lugd. Camerarius *maiorem*, & Caſp. Bauhinus *nodoſum atque fœtidam* ſalutaverunt, verbis & icone exhibuerat, & mox de *fœmina*, ibidem haud depicta, loquens, eam mare maiorem *albidiorem* & pinguiorem eſſe, nodisque in radice fere carere, & *tantum* in aquoſis locis naſci, marem autem in vmbroſis, pone ſepes, & murorum rudera, nec non prope aquas provenire dixerat, poſt aliquot demum paginas, in capite 9, p. 934, ſub titulo *Betonicæ aquaticæ*, iconem herbæ in ſcenam producit, eamque quoad radicis albedinem, & ſtrumoſam ſub-

ſubſtantiam cum mare, p. 929 deſcripto, plane convenientem, *ſcrophulariam minorem fœminam* conſtituere, & a ſpadiceo caulium atque foliorum colore, κατ' ἐξοχὴν quaſi, Braunwurtz appellari ſcribit.

§ 22. Verum, cum a veteribus introducta ſexus plantarum differentia hodie exoleverit, nec, per polygamiam quandam, vni mari duas fœminas affingere, æquum ſit, ideo, misſis fabulis, ſolam illam, a Io. Bauhino in ſuperioribus, § 5, ſub ſcrophulariæ *maioris & vulgaris* titulo, clare delineatam, & ratione radicis tuberoſæ, atrorubentiumque ſtipitum ac foliorum, modo dictæ *betonicæ aquaticæ* Theodori, cui C. B. verius nomen *ſcrophulariæ aquaticæ maioris* dedit, per omnia ſimilem, vna cum *nodoſa fœtida C. B.* ſive *mare* Theodori retinebimus; quia hæc ab illa tantum per viridem caulium & foliorum colorem diſcrepat, quoad odorem autem & figuram radicis, atque totius concreti virtutem, ipſi minime diſpar exiſtit. Hinc quando Schrœderus Theſaur. Pharm. lib. 4, claſſ. 1, cap. 313, p. 178, fœminam *bonitate* mari cedere ſtatuit, id tantum de recente locum habet; cum in paluſtribus locis nata, iuſto aquoſior ſit, & particulas ſalinas atque ſulphureas diffuſiores poſſideat, quæ in exſiccata magis vniuntur, & activiores evadunt.

§ 23. Quamvis autem tota planta medicamentoſa ſit, haud omnes eius partes tamen eodem tempore vſui aptæ ſunt. Herba enim menſe Iunio & Iulio ad floriferam ἀκμὴν perveniens, tunc, vna cum floribus, ad collectionem matura cenſetur: radicis autem evulſio, Matthiolo ſuadente, in autumnum differtur; eo forſan conſilio, vt vires, per æſtatem in caules & fructum elargitas, recuperet; quas omnino adhuc integriores primo vere, cum magis ſucco-

ſa eſſe ſolet, poſſidebit: videturque proinde ſuperſtitioſi quippiam in animo habuiſſe, qui p. 547, clavis Schrœd. celeberr. Hoffmanno radicis effoſſionem *in Iunio, die 2 post plenilunium, occidente ſole,* commendavit, vbi, procul dubio, imbecillima eſt.

§ 24. Circa temperamentum inter omnes Botanicos & Materiæ medicæ ſcriptores convenit, id calidum & ſiccum eſſe; id quod ex tertiis qualitatibus, *ſapore nimirum & odore*, certiusque ex virtute eius *reſolvente* atque *temperante* colligunt. Non enim ſolum *amaritiem* plerisque linguis imprimit, quæ ab aloë, abſynthio, carduo benedicto, & myrrha diverſa, ad opium magis accedere, & aliquid viroſi ſecum ferre videtur; ſed *odore* quoque *gravi*, lamium & ſambucum tantum non ſuperante, pollet. Amara autem omnia, inprimis ſi odorifera fuerint, effato illuſtris Wedelii, p. 12, de medicament. facult. & p. 22, 23, 27, Amœnitat. *calida* ſunt, & ſal, principio ſulphureo atque terreo fortius implicatum, obtinent, arguitque ſimul fœtor ſal volatile oleoſum, quod Tournefort. in Hiſt. de plant. circa Lutet. Pariſ. naſcentibus, eorumque vſu, ad *ammoniaci, in naturali terræ ſale hærentis*, naturam accedere putat, quia cœruleam chartam levi rubedine inficit.

§ 25. Haud igitur cum Trago, Theodoro & aliis, *rariorem* ſcrophulariæ, ad internos affectus, vſum ſtatuentes, audiendi ſunt: cum hoc vulgare & indigena vegetabile, vi ſuorum elementorum, tam ſalutares, non minus intus in corpore, quam exterius, operationes, quales vix ab alio, peregre advecto, magisque ſpecioſo quispiam ſperaverit, præſtare ſoleat: vt dudum apud Geſnerum *Agripalmæ* titulum acquiſiverit; quoniam, ratione *πολυχρηστίας*, cum hac arbore com-

comparari queat, &, præ multis aliis auxiliis, palmam dignumque locum mereatur. Quamvis enim non æque, cum modo nominatis Autoribus, ex ſemine, cum vino ſumto, fidum remedium a ſerpentibus, aut aliis venenatis animalibus admorſis, promittere audeamus, id ipſum tamen, & herbam atque radicem, vermes ex inteſtinis pellere, nemo negaverit, certiorque contra hos effectus inde ſperandus eſt, quam ſi, quod iſti etiam ſuadent, ſemen cum pipere, myrrha & vino iſchiaticis ægris propinaretur; quos non promiſcue a tali acri miſtura iuvari poſſe, ex qualitate ingredientium colligere licet, ſeque fruſtra id remedium, anno 1603, tentaſſe, is, qui ante nos codicem noſtrum Tragi poſſedit, manu ſua ad marginem notavit.

§ 26. Dum Schrœderus, l. c. radicem nodoſam ad internum vſum, in ſtrumis, ſcrophulis, ficis & mariſcis ani, cancroſisque ac ſimilibus ulceribus ſerpentibus, malignaque ſcabie, nec non extrinſecus, in tumoribus renitentibus malignisque emolliendis, præcipue laudat, nullam equidem ibi herbæ ac ſeminis mentionem facit, quæ tamen neutiquam abiicienda eſſe, ex iam allatis patet, & mox afferenda declarabunt. Herba enim cum ſaccharo *conſervam*, & cum melle *electuarium* conſtituit, quod Theodorus ex radice parat, eſtque vtriusque gratior equidem ſapor, quam *infuſi* & *decocti*, cum aqua, ſero lactis, aut alio liquore concinnati; ſed omnibus tamen magna reſolvendi facultas data eſt, qua lympham, in glandulis colli thyroideis & ſubmaxillaribus, ſtrumas & ſcrophulas, nec non in aliis regionibus moroſos tumores, excludentem, eo vsque fluidam reddunt, vt ea poſtmodum a calore noſtro per poros, in ſudoris & vaporis forma diſſipetur, aut in vaſa redeat. Nec dubitandum eſt, hæc

 medi-

medicamenta etiam internis glandulis meſenterii, & aliorum viſcerum, ſi illæ, quod demortuorum diſſectio patefecit, per ſymboliſmum quendam cum externis, etiam obſtructæ fuerint, vtiliſſima fore, & ex continuato eorum vſu, atrophiam, a meſenterio ortam, hepaticosque, ſpleneticos, vterinos, aliosque morbos levamen accepturos eſſe.

§ 27. Quam ſuaviter etiam tota planta cœcarum hæmorrhoidum furorem coërceat, & ſanguinem, elaſtica ſua ϛάσῃ atque acrimonia, inteſtino recto crudeliſſimos, & prunarum ardori non inferiores dolores Helmontio, *infames* dictos, inferentem, in ordinem redigat, adeo notum eſt, vt inde apud Gallos *Herbe de Sige ou feſſes*, planta ſedi aut natibus inſerviens, & a Minderero, Med. milit. p. 274, dieſer Sucht Meiſter vocetur, dem ſie die Natur gantz zugeeignet und unterwürffig gemacht, daher ſie auch ſothaner Beſchwerung Kennzeichen trägt.

§ 28. Allegant hanc *ſignaturam nodoſæ* radicis, figuram & ſimulachrum ſcrophularum, atque tumentium venarum ani habentis, etiam alii Autores, tanquam indicium, nos ad cognitionem medicamenti deducens. Reſtringit equidem Oſvvaldus Crollius, Tract. de ſignaturis intern. rerum, p. m. 56, eam tantum ad ani ficos & mariſcas, ita ſcribens: *Scrophularia maior & minor habent integram* (ficorum) *ſignaturam: ideo decoctum in exterendis ficibus* (ficis) *mariſcisve non ſolum vtiliter bibitur, ſed etiam pro amuleto de collo ad orificium ſtomachi virtuoſe appenditur:* ſed latius ſalutiferam eius vim patere, & ad hæmorrhoides quoque ſeſe extendere, quotidiana Praxis docet, & per teſtimonia Medicorum probari poteſt.

§ 29.

§ 29. Vt ex innumeris, temporis lucrandi caufa, nunc vnum faltem, de interno vfu, afferamus; id adducemus, quod Heinricus ab Heer obfervationi 20, de vomitu fanguinis, ab emanentibus hæmorrhoidibus orto, agenti, annexuit; vbi a Paftore Caftrenfi fe hanc plantæ facultatem didiciffe, candide fatetur, eamque poftmodum fæpiffime expertum effe fcribit. Apponemus ipfa verba, ex pag. 185, quæ etiam in Schrœderiana Clave, p. 547, legi poffunt. *Si quis hæmorrhoidum cœcarum infano torquetur dolore, minimum quid fcrophulariæ, vel radicis, vel foliorum, cum cibo aut potu capiendo, ftatim dolore liberatur, five ipfam plantæ fubftantiam ficcam, aut viridem, five eius decoctum adfumet.* Securior certe eft hæc medendi methodus & certior, (inprimis fi exterius fimul fotus, ex tota planta, cum aqua vel lacte cocta, litusque, in feqq. vifendi, accefferint) quam illa, per vomitus cruentos inftituta, qua D. D. Stegmannus, Eph. Germ. Dec. 3, anni 4, obf. 102, p. 217, civem Islebienfem, bis quotannis opus habuiffe fcribit, vt fanguis, quondam, quovis vere & autumno, per anum falubriter excretus, improvide autem, per venæ fectionem, in fluxu fuo turbatus, & cœcas dolentesque hæmorrhoides excitans, per fuperiora duceretur.

§ 30. Quantum etiam in vulneribus atque ulceribus balfamicæ falinæque & fulphureæ plantæ particulæ valeant, hactenus plebi magis, quam Chirurgis innotuiffe videtur; vt proinde eam, quamvis a Medicis commonefacti, rarius, hunc in finem, in vfum vocaverint. Non exiguæ igitur gratiæ doctiffimo Viro, D. D. Lochnero, Norimbergenfium excellentiffimo Medico, illuftrisque Academiæ Carolinæ Nat. Cur. Adjuncto fpectatisfimo, debentur, quod obf. 65, Cent. 7 & 8, Ephemerid. German. p. 145, non tantum per hi-

ſtoriam ingentis vulneris, ſuræ a ſecuri inflicti, perque decoctum ſcrophulariæ, cum cichorii pulvere crebro hauſtum, & expreſſum ſuccum, ſauciato loco inſtillatum, feliciter ſanati, merita huius vegetabilis efficaciter commendare, ſed etiam ex Tournefortii, in ſuperiori § 24, laudata Hiſt. plant. Pariſienſ. travmaticam eius energiam in vulneribus partium tendinoſarum, vlceribusque ſordidisſimis, in carcinomatum malitiam pronis, citare voluerit.

§ 31. Sic enim confirmantur, quæ de externo vſu dudum, poſt Plinium & Æginettam, Germani Botanici literis conſignaverunt, & ex eorum fontibus in exterorum rivulos fluxerunt, vt ea horum inventa illis videantur, quibus veteres nondum innotuerunt. Primo autem loco, antiqui candoris & fidei virum, Hieronymum Tragum nominabimus, qui l. c. ex herba & radice, menſe Maio bene lotis contuſisque, ſuccum exprimit, & in vitrum anguſtioris colli recondit, hinc ex eius, & ceræ atque olei olivar. æquali pondere, per blandum carbonum calorem unguentum conficit: de cuius efficacia ita loquitur: Ich ſage dir fürwahr, daß damit groſſe Breſten, ſo man ſchier für Ausſatz halten wolt, geheilet ſind worden, damit geſalbet, welches aus Chriſtlicher Liebe, nit allein mögen behalten.

§ 32. Vt Matthiolus, l. c. & Reinerus Solenander, Conſil. 20, ſect. 4, p. 380, Tragi veſtigia, quibus procul dubio inſtiterunt, celarent, butyrum tantum recens, cum radice verno tempore contuſum, & per 15 dies, aut aliquot hebdomadas, in locum vliginoſum repoſitum, leniter coquunt, colatumque, ceu polychreſtum unguentum, ad varios

rios tumores & cutis vitia aſſervant. Alii cum C. Bauhino ſalitum butyrum adhibent, vt medicamentum penetrantius evadat: quod tamen non æque ad vlcera & hæmorrhoides commodum videtur, ideoque recte ſuperioribus, &, ad leniendos inteſtini recti dolores iſti poſtponendum eſt, quod ex ſucco radicis, pinguedine anſerina & oleo amydalor. recente conficitur; cuius beneficio atrocem & ardentem dolorem poſteriorum, addito ſimul tantillo croci & opii, aliquoties & evidentius mitigatum fuiſſe novimus, quam per euporiſtum illud, ex polline gypſi, cum butyro cancrino ſubacto, paratum, & tepide tumentibus ani venis applicatum, quod ab amico quodam celeberrimum D. D. Nebelium accepiſſe, ex Ephem. Germ. Dec. 3, ann. 3, obſ. 162, p. 289, patet: cui illud ex butyro roſaceo Meſ. & lapide calaminari, ad latus ponendum eſt, quod Crato in Conſil. 206, p. 589, ab illuſtri perſona feliciter vſurpatum eſſe ſcribit.

§ 33. Præter hæc Raius, poſtquam, l. c. Tragi unguentum fideliter recenſuerat, emplaſtrum quoque D. Sibboldi, ex Prodromo hiſt. natur. Scotiæ communicat: Rec. axung. porcin. ℔j, ſolvatur moderato ignis calore, adde foliorum conciſorum ſcrophulariæ, cynogloſſæ, lamii fl. albo, digitalis, q. v. part. æqual. coquantur aliquamdiu, & repetatur coctio ter quaterve, vt vnguentum ſaturati viroris evadat, cui, in libra ponderato, ceræ & reſinæ dimidiam partem, terebinth. ℥ij, viridis æris ℥j admiſce. Cum hoc emplaſtrum contra ſcrophulas potisſimum directum dicatur, in eo notamus: per multitudinem ingredientium ſcrophulariam ita obrui, vt, ſi aliqua bona operatio emplaſtri ſequeretur, eam ab iſta deducere haud liceret; neque etiam doſis ingredientium ſatis definita eſt; nec cur æs viride, vbi emolliendum & reſolvendum

eſt,

eſt, acceſſerit, liquet. Vt propterea magis placeant, quæ C. Bauhinus Theodori Herbario in parentheſi adjecit. Nimirum per multiplicem experientiam conſtare, radicem in omnibus frigidis vlceribus, tumoribusque glandularum, a viſcida materia ortis, & emollitione ac reſolutione indigentibus, imprimis autem glandulis colli, in deformia vlcera degenerantibus (qualia D. Præſes, plus ſimplici vice, ab vnius lateris parotide, ad oppoſitam migrare, & ingratam collaris ſpeciem referre, vidit) proficuum eſſe, ſi ea in tenuem pultem contuſa imponitur. Addit Autor, herbam & radicem, in *vino* coctas, vlceribus applicari poſſe: quod ipſum tamen num ſine acerbo dolore, & cum notabili vtilitate fieri queat, in medio relinquimus. Nos potius cum Moriſſone ſola folia contrita & calefacta imponimus, & præter noſtratem, per longum vſum, approbatam ſcrophulariam, illam Liquitaiam, Tolaſſim, Tirtavam, ſimilesque peregrinas, in Braſilia atque Malabara, &c. naſcentes ſpecies, a ſupra laudato Lochnero memoratas, non admodum deſideramus.

§ 34. Vt porro potentia diſſipandi clarior eluceat, tumentibus colli glandulis crudam ſaltem & integram radicem alligare jubent, eandemque vbi hæmorrhoides peccant, de collo ſuſpendere, vt ſcrobiculi cordis, vel osſis ſacri potius regionem, vtpote hæmorrhoidialibus vaſis propiorem, attingat, dolorumque felicem ceſſationem ſic promittunt, quæ alias a *fabaria & chelidonio minori*, ſimiliter vſurpatis, expectatur. Fieri hoc dicunt, quod ſanguis, in venis ſedis acervatus & ſpiſſeſcens, exitumque ex illis cum impetu intentans, attenuetur, ſimulque extenſis vaſis tonus reddatur, vt hæc, ſeſe contrahendo, cruorem ſtagnantem, fluidum redditum, reprimant, eumque viam ſurſum ad cor,

cum

cum alio venoſo repetere cogant. Quando, contra ea, eundem, largius effluentem, a Cratone in Conſilio 208, p. 590, per pulverem ſcrophulariæ & antimonii crudi aſperſum, cohiberi legimus, id itidem roborato tono languentium venarum, negligenter contentum cruorem aſſervantium, adſcribendum eſt; vt illæ iterum retinere diſcant, quod retineri decet.

§ 35. Fidem autem ſuperant, quæ de radice, absque contactu corporis ægroti, ſuppreſſum ſanguinis fluxum provocante, & immoderatiorem compeſcente narrant. ἐγχείρησιν & vtendi modum Crato, in conſilio 207, ad magnificum aliquem Dominum directo, p. 589, cum adiecto frigido epiphonemate, docet. *Radix in teſſulas incidatur, & filo connectatur, vinoque inficiatur, de quo novem diebus patiens bibat, poſtea radices ſiccentur. Eo autem modo, quo radices exſiccantur, hæmorrhoides quoque exſiccari atque minui cenſent. Vbi autem rurſus aperire & fluere velis, vino vel aquæ imponantur, atque tunc rugas hæmorrhoidum eodem modo, ſicut radicum, extendi atqua aperiri*: SI CREDERE FAS EST.

§ 36. Quibus ſapor pulveris aut decocti adverſus eſt, equidem in *aqua*, ex tota planta deſtillata, teſtibus ſapore & odore, multas ſalutares particulas reperiunt; quæ tamen in maiori copia & efficaciores in *extractum* cogi poſſint, vt id non ſolum omnibus, huc vsque nominatis indicationibns, virtutes herbæ & radicis præſtolantibus, ſatisfaciat, ſed etiam, verbis celeberr. Lochneri, c. l. extracto myrrhæ, ſcordiique ſociatum, invictisſimis illis ſpinæ ventoſæ doloribus levamen, haud contemnendum, afferat.

D §37

§ 37. Si aqua ſimplex a ſcrophularia, absque præcedente fermentatione, abſtrahitur, provenit liquor, blande reſolvens & temperans, puſtulaſque & cruſtulas, faciem deformantes, diſpellens, & cum pulvere radicis ficis impoſitus, experimentum a Trago appellatur. Sunt qui eum, cum ſulphure & nitro in pulticulam redactum, conchæ auris imponunt, vt dentium dolorem ſedet: cuius loco Tragus ſuccum expreſſum, cum iisdem ſpeciebus miſtum, adverſus *Otalgiam* laudat. Quando autem Theodorus, aquæ fontanæ loco, vinum vetus cum radice & herba, adhuc tenella, deſtillationi ſubiicit, tunc acquirit equidem liquorem ſpirituoſum, cui bibito & exterius applicato plerasque virtutes, non ſolum aquæ ſimplici deſcriptæ, ſed etiam in ſuperioribus ſucco & decocto asſignatas, tribuit: verum, cum impoſſibile ſit, ex hac planta, præter ſalinas ſulphureasque volatiles, etiam plurimas fixas, itidemque efficaces particulas continente, per deſtillationem omnes vires exhaurire, neque etiam quævis ſubiecta remedia acria, & ἀθρόως καὶ βιαίως agentia tolerent, & præterea per ignem κράσις elementorum in concretis admodum immutetur, ideo, num de eiusmodi compoſito idem effectus, qui ex ſimplici medicamento fluit, promittendus ſit, dubium videtur. Quale iudicium etiam de admodum ſapido & olente liquore, quem herba, cum radice decenter fermentata, largitur, vt & de Tourneforti ſale volatili & oleo fœtido, (forſan empyrevmatico) per ignem comparatis, ferendum eſt. Quamvis enim remedia δραστικὰ iuſto tempore, & vbi indicantur, vſurpata, ſua vtilitate non deſtituantur, quæſtio tamen reſtat, an illa idem, quod ſimplex concretum, vnde prolecta ſunt, efficere ſolebat, in iisdem morbis præſtitura ſint; ſique omnino præſtarent, num

conſul-

consultum & operæ pretium sit, per se bonam & vsu probatam materiam medicam destruere, &, cum sumtuum ac temporis jactura, novum quippiam, quod vel plane incertæ, vel non maioris efficaciæ est, quam antiquum fuit elaborare.

§ 37. Missis igitur hisce *artificiosis* productis, verbo adhuc ex vegetabilibus succedanea quædam scrophulariæ, *radix* scil. *vincetoxici* & *valerianæ*, vna cum *herba floribusque linariæ*, aliaque emollientia & paregorica nominanda essent, vt diversis idiosyncrasiis decumbentium, subinde variationem remediorum postulantium, satisfiat; quibus etiam *sudor morientium*, sec. Helmontii Tr. Latex hum. negl. p. 361, § 17, mirificas vires, hæmorrhoides & excrescentias mortificandi possidens, addi posset: sed in centum ægrorum, hæmorrhoidalibus passionibus, hic loci, ob frequentem vini potum, non infrequentibus, afflictorum curatione, hisce omnibus sibi non æque opus fuisse, ipsamque scrophulariam, modo solam, modo cum linaria combinatam, & in forma infusi, decocti, fotus, vnguentique vsurpatam, suffecisse vbique, D. Præses serio testatur, & optat, vt in reliquis etiam morbis remedia, huic quoad certitudinem, & celeritatem operationis paria, a summo Numine nobis concessa sint, cui pro immensa sua benignitate, in hac opella nobis præstita, sit laus, honor & gloria.

